



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

II. quid sit Vniversale in prædicando sive Logicum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

ad institutum præsens non pertinent, nec de illis amplius erit sermo; sed de Universalis in prædicando, sive affirmando dumtaxat. Pro quo sit

DVBIVM II.

Quid sit Universale in prædicando sive logicum.

RESOLUTIO I.

xx. Dico 1^o. Universale in prædicando latè sumptum est ens unum aptum prædicari de multis cum sui multiplicatione, abstrahendo à conditionibus infra adferendis: juxta hanc autem definitionem entia rationis strictè, ut chimæ respectu hujus & hujus chimæ; æquivoca, ut canis respectu canis celestis & terrestis; entia incompleta, ut anima respectu hujus & hujus animæ; entia per accidens, ut populus pro gente respectu hujus & hujus populi; complexa, ut homo albus respectu hujus & hujus hominis albi, &c. sunt Universalia.

RESOLUTIO II.

xxi. Dico 2^o. Universale in prædicando sive Logicum strictè & juxta mentem Philosophorum sumptum est ens reale, completum, unum voce, re & significatione, aptum prædicari de multis divinis, & cum sui multiplicatione.

xxii. Per ly reale, id est, reipsa existens, vel potens existerè, excludit entia rationis strictè, ut est chimæ respectu hujus & hujus chimæ.

xxiii. Per ly completum (saltem Phycicè) excludit partes essentielles Phycas, uti est anima, corpus, &c. & integrales, uti est, pes, manus &c.

xxiv. Per ly unū voce excludit voces complexas non habentes unam significationem sive omnes voces complexas voce & significatione. Vti est animal rationale respectu hujus & hujus animalis rationalis.

xxv. Per ly unum re & significatione (quæ vix, aut nihil differunt) excludit artefacta, uti est, domus: aggregata per accidens, uti est, cumulus lapidum, & nomina collectiva, uti est, urbs, populus pro gente; æquivoca, &c.

xxvi. Per ly aptum prædicari de multis excludit individuum, quod quatenus unum significatione, de uno tantum est aptum prædicari, puta verè & non falsò; aliàs certum est individuum prædicari de multis falsò, ut Petrus respectu hujus & hujus Petri.

xxvii. Per ly cum sui multiplicatione, id est, ita ut de multis affirmari possit in plurali numero: excludit Deum respectu Trium Personarum, quia licet rectè dicatur Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus, dici tamen non potest Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt Dei. Idem dic de quolibet toto homogeneo respectu suarum partium, uti est tota aqua respectu suæ partis A & suæ partis B. quia dici non potest pars A est tota aqua.

xxviii. Adde 1^o subly multis in definitione positum debere subaudiri realiter; quia hujus defectu animal respectu hominis & Petri non est Universalis; nam cum homo & Petrus realiter sint una res; ac proinde unum animal, animal de illis non prædicatur tanquam de multis, & cum sui multiplicatione idem dic de albedine respectu sui ipsius miraculosè existentis in pluribus subjectis.

DVBIVM III.

Quid Universale in essendo sive Metaphysicum & an ab Universalis in prædicando sive Logico distinguatur.

RESOLUTIO I.

xxix. Dico 1^o. Universale in essendo, sive Metaphysicum est ens reale, completum, unum, &c. aptum inesse multis cum sui multiplicatione; ita Aristoteles 7. Metaph. Text. 45.

xxx. Sed difficultas est circa sensum istius definitionis, an v.g. Universale Metaphysicum illa multa respiciat, ut ea à quibus separatur, & non, ut ea quibus aptum sit inesse per affirmationem? quæ docet P. Ioannes à S. Thoma q. 3. de Universalis art. 5^o. An illa multa respiciat per aptum illis inesse per simplicem comparationem, & non per compositam sive prædicacionem? quæ docent PP. Oviedus & Poncius. An, quod P. Comptonus Logica disp. 32. sect. 1. naturam per abstractionem facta una in intellectu, & multiplex à parte rei, sic sit Universalis in essendo, ut non sit nisi remotè apta illis inesse per affirmationem? ad difficultatem istam

xxxi. Respondeo, contrà Authores istos, Universalis illa respicere ut aptum illis inesse proximè per affirmationem sive prædicacionem; quia hoc ipso præcisè, quod natura est à multis abstracta, est in actu exercito proximè apta prædicari de illis; licet, sine comparatione cum illis, intellectus non sit proximè prædicativus illius de illis multis, ut infra Dub. 10. ostendemus; ad Universalis autem sufficit naturam esse proximè aptam prædicari; intellectum enim esse prædicativum non est de definitione Universalis, ut patet. Undè prædicabilitas proxima extrinseca non est (quidquid Pater Coptonus) denominatio ab actu reflexo, seu comparativo naturæ universalis secundum identitatem cum particularibus; sed natura abstracta à multis præcisè licet prædicativitas proxima intellectus, talis denominatio dici possit: sicut enim objectum illuminatum potest esse proximè visibile, licet visus, clausis palpebris, non sit proximè visivus illius; ita natura abstracta à multis potest esse proximè prædicabilis, licet intellectus, non comparato objecto ad multa secundum identitatem, non sit proximè prædicativus illius de multis: quia alia ex parte naturæ prædicabilis, & alia ex parte potentie prædicativæ requiruntur; de quo plura infra Dub. 10. & disp. 3. Dub. 3.

RESOLUTIO II.

xxxii. Dico 2^o. Contrà PP. Ioannem à S. Thoma, Oviedum, Poncium, Comptonum & alios, (exceptis nominalibus) communiter, Universalis in essendo sive Metaphysicum solo nomine distinguitur ab Universalis in prædicando sive Logico.

xxxiii. Probatur 1^o. Universalis debet esse unū & multa; multa quidè realiter; sed unum unitate conceptus confusi, sive ita confusè realiter multa repræsentantis, ut intellectui appareant unum, atqui hoc totum utriq; Universalis convenit, nec eorum quodvis aliud requirit, ergò, &c.

xxxiv. Probatur 2^o. Universalis Metaphysicū definitur unum aptum inesse multis; sed hæc definitio intelligi debet de inessentialia per prædicacionem sive affirmationem de multis; ergo Universalis Metaphysicum solo nomine distinguitur ab Universalis

fali